



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

14. An percutientes Clericum titulo correctionis incidant in censuram? Et quid, si excedant modum vel corrigant ex odio? Et in textu huius Resolutionis explanantur diuersæ personæ, quæ hanc ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

3. Verum, licet hoc ita sit de rigore Iuris, à consuetudine tamen introductum est, ut Prælati Ecclesiasticos mediis laicis capiant, & in vincula coniciant, & publica flagellorum punitione afficiant, & si opus fuerit, torquant, ac in tiremibus puniant. Id enim bono communi necessarium est, ne delicta Ecclesiasticorum maneant impunita: quod sæpè contingeret, cum raro inveniretur Ecclesiasticus, qui has actiones præstare velleret. Præterquam quod non decet, personam Ecclesiasticam huius generis punitionis executione. Et ita docet Turrianus de cens. lib. 3. disp. 29. dub. 3. Megala in 3. p. inst. Confess. lib. 4. c. 1. g. 3. n. 5. cum seg. Coninch de cens. disp. 14. dub. 15. n. 191. Avila p. 2. c. 5. disp. 3. dub. 12. & alij penes ipsos.

4. Et tandem ad confirmationem supradictorum non deferam hic apponere verba Villalobos in Summa t. 1. tr. 17. diff. c. 22. n. 9. ubi sic ait: [Mas haze de advertir que el Obispo no tiene obligacion de agotar por sus manos al Clerigo, como todos dicen, por un capitulo de Derecho, ni tam poco los demas Iuezes Ecclesiasticos seculares, inferiores à los Obispos, que en ninguna parte està en uso, como nota Suarez, por que aquella forma solo està prefecita à los Prelados regulares, para que no aviendo necesidad de otra cosa, agoten por si mismos à los subditos. Y añade mas, que los Prelados de las Religiones no estan obligados à esso con tanto rigor, que pequen mortalmente, y queden descomulgados, si hazen lo contrario, por que aquel defecto no es substancial, sino accidental, y no es la materia grave, y favorece esto la costumbre, que en nuestra Religion de ordinario los Prelados mandan à los Vicarios, ò otros Sacerdotes hazer esto.] Sicille.

RESOL. XII.

An percutiens Monachum, aut Novitium titulo correctionis incidat in censuram, si in Religione adsit statutum, ne Prælati causa correctionis percutiant Monachos?

Et quid, si Submagister corrigat contra prohibitionem Magistri principalis?

Et notatur Clericos sodomitas esse privatos per Bullam Pij V. privilegiis Clericalibus, sed intellige post declarationem criminis?

Et an sub nomine Clericorum sodomitarum in dicta Bulla intelligantur patientes crimen nefandum? Ex parte. 9. tr. 4. Refol. 41.

§. 1. Respondet negativè Avila de censur. part. 2. c. 5. disp. 3. ubi sic ait: [Quid, si Submagister corrigat contra prohibitionem Magistri principalis? Respondetur, quod non incurrit censuram. Ita Sylv. part. 8. quia per huiusmodi prohibitionem non potest auferri privilegium juris, quod est posse corrigere discipulos. Hinc infero, quod quamvis Prælati aliquis Religionis per se, vel per alium Religiosum verberet subditum delinquentem contra consuetudinem, vel Constitutionem suæ Religionis, prohibentem, ac illum percutiat, non incurrit: quia non agit contra jus commune.] Ita ille.

2. Notandum est hic obiter, Clericos sodomitas esse privatos per Bullam Pij V. privilegiis clericalibus: sed intelligi post declaratoriam criminis. Sed, an sub nomine Clericorum sodomitarum in dicta Bulla intelligantur patientes vitium nefandum, negat Leone de cens. recollect. 5. num. 73. me citato: quia hi potius dicuntur molles, quam sodomitæ, & ideo non comprehenduntur in casu, & pœna dictæ Constitutionis. Quod etiam tenet intrepidè, me citato, Marchinus de Sacram. Ordin. tr. 1. part. 8. cap. 14. n. 29. Sed

Sup. hoc in r. 1. tr. 5. Ref. 63. & in alio § ejus primæ annot.

Et pro patientibus contentis in hoc textu in tom. 1. tr. 5. Ref. 60.

ego non adhæsi firmiter huic sententiæ, sicut neque modò adhæreo: ideo tu cogita.

RESOL. XIII.

An Magistri percutientes Clericum discipulum per laicum incidant in censuram? Ex parte 9. tractatu 4. Refol. 23.

§. 1. Videtur prima facie hoc fieri non posse: quia Prælati, & Iudicibus Ecclesiasticis sola capta, tortura, & publica punio permittitur per laicos fieri; non autem secreta punio, & quæ punitionem non infamat: at magistris sola hæc punio concessa est: ergo nequeunt illam mediis laicis exercere. Sed affirmativè sententiæ ego adhæreo: quia spectato jure naturæ hæc correctio non est illicita: non enim potest ut violenta notari, c. 1. de sent. excomm. At jure positivo solis Prælati, & Iudicibus Ecclesiasticis invenitur interdictum, ne Clericos, vel Religiosos corrigant mediis laicis, cap. V. universitatis, de sent. excomm. Cui dispositioni magna ex parte derogatum est in cap. V. famæ, eodem tit. & in cap. Si Clerici, eodem tit. in 6. ergo, cum magistris, parentibus, propinquis non sit prohibitum discipulos Clericos per laicum punire, id absque timore excommunicationis præstare poterunt. Et confirmo: Magister laicus potest Clericum in minoribus constitutum punire, & pater filium, & propinquus sibi aliquantulum subditum: ergo poterit medio alio laico eam punitionem præstare; partim, quia in ea actione nulla injuria deprehenditur, argum. cap. Si Clerici, partim, quia ipsi magistris potius, quam exequutoribus punio adscribitur, ut notatur cap. V. famæ, de sent. excomm. Neque obstat, quod Prælati, & Iudicibus Ecclesiasticis interdicta sit correctio Religiosi, & Clerici subditi medio laico: quia, cum ipsi Ecclesiasticæ personæ sint, decebat Ecclesiasticos per se, vel per alios Ecclesiasticos corrigere, cum correctio adhibenda est, quæ à personis Ecclesiasticis exerceri decenter potest: at magistri sæpè sunt laici, & à fortiori parentes: non est igitur mirum quod ipsi facultas jure naturæ concessa intacta relinquantur, quæ Prælati Ecclesiasticis restringitur. Et hæc omnia docet Molina disp. 56. n. 8. Layman lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 9. & Caltus Palus 1. 6. disp. 3. punct. 23. §. 3. n. 12.

RESOL. XIV.

An percutientes Clericum titulo correctionis, incidant in censuram?

Et quid, si excedant modum, vel corrigant ex odio?

Et in textu huius Resolutionis explanantur diversa persona, quæ hanc correctionem facere possunt sine censura incurfione?

Et an, quando dicta persona excedunt modum percussus relatæ ad correctionem, vel corrigunt ex odio, incurramt hanc censuram? Ex parte. 9. tractatu 4. Refol. 21.

§. 1. Respondeo, quod titulo correctionis licitum est Prælato Ecclesiastico, & magistro discipulum Clericum, etiam in sacris constitutum, vinculis alligare, & castigatione moderata punire, pro ut ratio culpæ, & qualitas personæ exigit, & consuetudine receptum est. Sub magistro venit intelligendus pædagogus, & quicumque alius, qui ad honestum aliquid docendum, vel in officio Clericos continendos assumitur, ut rectè advertit Molina disp. 56. n. 3. Item,

Item, is, cui ex officio incumbit pueros turbantes divinum Officium ab Ecclesia expellere. Quinimo senioribus Clericis concessum est leviter in minoribus Ordinibus constitutos punire, si divinum Officium turbent. Et ita docet Layman lib. 5. tract. 5. par. 2. c. 81. n. 7. Suarez de cens. disp. 22. sect. 1. num. 48. Coninch. de Sacram. disput. 14. dub. 15. num. 190. & seq. Caltrus Palaus tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 3. num. 6. cum aliis.

2. Verum non desinam hic adnotare, quod in iure videtur aliqua antinomia, quoad supradictam in cap. *Universitatis*, de sent. excomm. Iudex Ecclesiasticus, qui percussit facit Clericum per laicum, censetur simul cum percussore peccare in Canonem. Unde apparet, laicis non esse permillum, ut doctrinae, & instructionis causa percussant Clericum; sed debet fieri castigatio a Clerico. E contra eod. tit. c. 1. id magistris simpliciter permittitur. Et cap. *Cum voluntate*, eod. tit. §. Si qui vero. Permittitur primò, senioribus Clericis, juniores vel adolecentes in minoribus constitutos, si turbant divinum Officium (non alia ex causa) leviter percutere. Secundò, idem magistris in scholares permillum, correctionis causa. Tertiò, adduntur ibidem hæc verba: *Quod & de his dicendum est, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum simili modo, ut cohibeant a suis insolentis, & scientia, bonisque moribus informantur, duxerint corrigendos.* Et hæc quidem vera sunt omnia, dantque cum assignatis conditionibus potestatem etiam patri, dominis, & magistris in subditos Clericos. Ad tollendam autem antinomiali aliqui explicant dict. cap. *Universitatis*, prohibere laicis illis juridicam, & publicam animadversionem in Clericos, non verò privatam. Rectius tamè intelligitur caput illud de laicis, quibus non est titulus magistris, parentis, aut domini concessus, nempe, ut in cap. *Cum voluntate*. Addo præterea illud, cap. *Universitatis*, prius editum esse à Clemente III. quem pono sedisse 1188. illud verò cap. *Cum voluntate*, postea editum à Gregorio IX. qui sedit anno 1227. & proinde habere declarationem, & extensionem prioris legis. Quid magis, quidve propinquis concessum sit, habetur in dicto cap. *Cum voluntate*. Porro hæc de magistris declarant Navarr. n. 82. casu 14. & Angelus, *Excommunicatio*, n. 9. Lege citata juris, ubi habetur, nihil obstat in Clericis scholasticis, si sint minoribus, siue sacris Ordinibus initiati: & idem de filiis, cum castigantur à patre. Et hæc omnia docet Gordonus in *Summa*, tom. 2. lib. 7. q. 13 §. 4. n. 37.

3. Sed ex his dubium oritur, an quando prædicti excedunt modum percussione relatæ ad correctionem incurrant hanc censuram? Prima opinio est Glossæ in cap. *Universitatis*, de sent. excomm. affirmantis, illos incurrere hanc censuram. Et probari potest: quia facultas solum conceditur in ordine ad correctionem: sed Glossa in cap. *Cum voluntate*, citatur, docet non incurrere illos hanc censuram. Et aliqui redigunt in concordiam has duas opiniones, secundum doctrinam Sylvestri, *Excommunicatio*, §. 6. ut non contrahatur, quando est purus excessus, ita ut non sit peccatum mortale. Et hanc doctrinam sequitur Tabiena. *Excommunicatio*, §. casu 2. & Toletus c. 34. n. 4. & ex dictis potest probari utraque pars: & prior faciliè intelligitur; quia sine peccato mortali non incurritur hæc censura: secunda probatur: quia fit contra facultatem gravi modo, ita ut sit peccatum mortale.

4. Sed quæri potest, quid dicendum sit, quando prædictæ personæ percussant prætextu correctionis; sed non ex fine corrigendi, sed ex odio? Respondent Sylvester, & Toletus *supra*, incurrere excommunicationem: quia facultas est concessa ad corrigendum, ex fine correctionis: & docent esse communem sententiam, quam ego intelligo, si finis ille aliquo signo ma-

nifestetur; aliàs non potest Ecclesia cum actu punire. Quæ omnia docet Turrianus de cens. lib. 3. disp. 29. dub. 2.

RESOL. XV.

An Pater correctionis causa possit percutere filium Clericum in Sacris constitutum absque metu censura?
Et quid in prædicto casu de Clericis in inferioribus gradibus, siue Ordinibus constitutis?
Et notatur hoc locum habere in aro, si talis filius Clericus est in ejus potestate?
Sed quid de Matre?
Et advertitur Magistrum ab excommunicatione immunum esse, si discipulum correctionis causa percussit?
Ex part. 9. tract. 4. Res. 1.

§. 1. Negativè ex Molina, & aliis respondet Layman *Theolog. mor. lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. n. 8.* ubi sic ait: [De parte majus dubium est, utrum filium in sacris constitutum, sine nota excommunicationis castigare possit. Negat Gloss. cap. *Cum voluntate*, verb. *Inferiorum graduum*, quia facit Ordo, inquit, liberat à patria potestate: intellige, quod attinet ad effectum castigationis: nam ab aliis est actibus patriæ potestatis sacer Ordo non eximit: sed solum Episcopalis, vel Cardinalitatis dignitas, sicuti Abbas in cit. cap. *Cum voluntate*. Angel. verb. *Excommuni.* §. §. 10. Eandemque sententiam Glossa sequitur Abbas *ibid.* Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 228. in 6. effectus, & tract. 3. disput. 56.* & alij apud eundem. Quia indecens esse videtur, Clericum, in sacris constitutum à patre laico verberari: ut proinde præsumendum non sit, iura huic rei patrocinari velle. Et cum Canon, siue Ius commune, prohibens Clerici percussione, favorable sit Ecclesiastico Ordini, restringi non debet nisi expressam in Iure exceptionem reperiamus: nullibi autem expressum est, quod pater quoscunque filios Clericos, etiam in sacris, absque nota excommunicationis castigare possit; sed solum, quod patri familias concessum sit Clericos adolecentes, in inferioribus gradibus, siue Ordinibus constitutos, qui de familia ejus, vel propinqui sunt, disciplinæ causa corrigere, cit. cap. *Cum voluntate*, de sent. excommuni. Hucque Layman, cui adde Villalobos in *Summa*, tom. 1. tract. 7. diff. c. 22. n. 5.

2. Sed non desunt Doctores pro opinione affirmativa: & idè illam tuerentur S. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 1. §. 2. casu 12. Sylvester *ver. excomm.* 6. numero 6. casu 8. Navarr. c. 27. n. 82. Avila part. 2. c. 5. disput. 3. dub. 13. casu 1. Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 49.* Ratio eorum est: quia pater non minorem, sed potius majorem in filium potestatem habet, quam magister in discipulum; atqui in cap. 1. & cap. *Ex tenore*, absolute, & sine restrictione, significatur, magistrum ab excommunicatione immunum esse, si discipulum correctionis causa percussit; ergo idem de patre sentiendum est erga filium. Et hanc sententiam, præter Doctores citatos, tenet Fagundez in *Regim. Reipubl. Christi*, tom. 2. part. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. num. 7. & Grassius lib. 2. decis. c. 49. n. 39. & seq. Filiucius *tom. 1. tract. 15. c. 1. quest. 1. & 6.* Coninch. de Sacram. disput. 14. dub. 15. num. 192. Bañez in 2. 2. quest. 65. ar. 2. Valentia *ibidem* quest. 9. punct. unico, & novissimè Baunius in *Theolog. moral.* tom. 2. disp. 5. tract. 4. n. 3. q. 3. ubi sic ait: [Quæritur, an pater animadvertens in Sacerdotem filium, reus sit violatæ legis Ecclesiasticæ de non verberando Clerico? Nequaquam: quia patri, quoad correctionem, sui subditi liberi: Sacerdos filius est, nec à Characterè jus sibi prætere ex ullum potest, vi cuius à patria potestate sit liber? nam, quis